

angustias Romanas, si scieris unam syllabam esse, quam mutare non possim. Quae haec sit, quaeris? τὸ ὄν. Duri tibi videor ingenii: in medio positam posse sic transferri, ut dicam: *Quod est*. Sed multum interesse video; cogor verbum pro vocabulo ponere: sed ita necesse est, ponam *Quod est*.

Div. I. 1—4. Vetus opinio est, jam usque ab heroicis ducta temporibus, eaque et populi Romani et omnium gentium firmata consensu, versari quandam inter homines divinationem, quam Graeci μαντικὴν appellant, id est, praesensionem et scientiam rerum futurarum. Magnifica quidem res et salutaris, si modo est ulla; quaque proxime ad deorum vim natura mortalis possit accedere. Itaque ut alia nos melius multa, quam Graeci, sic huic praestantissimae rei nomen nostri a divis, Graeci, ut Plato interpretatur, a furore duxerunt. Gentem quidem nullam video, neque tam humanam atque doctam, neque tam immanem atque barbaram, quae non significari futura, et a quibusdam intelligi praedicique posse censeat. Principio Assyrii, ut ab ultimis auctoritatem repetam, propter planitiem magnitudinemque regionum, quas incolebant, quum coelum ex omni parte patens, atque apertum intuerentur, trajectiones motusque stellarum observitaverunt: quibus notatis, quid quoque significaretur, memoriae proderunt. Qua in natione Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, ut praedici posset, quid cuique eventurum, et quo quisque fato natus esset. Eandem artem etiam Aegyptii longinquitate temporum innumerabilibus paene seculis consecuti putantur. Cilicum autem, et Pisidarum gens, et his finitima Pamphylia, quibus nationibus praefuimus ipsi, volatibus avium cantibusque, ut certissimis signis, declarari res futuras putant. Quam vero Graecia coloniam misit in Aeoliam, Joniam, Asiam, Siciliam [sine Pythio, aut Dodonaeo, aut Hammonis oraculo? aut quod bellum susceptum ab ea sine consilio deorum est?